

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.




ORATIO HABITA  
AD PATRES IN CONCILIO  
TRIDENTINO.

17

QUARTA DOMINICA QUADRAGESIMAE  
Anno domini. M. D. LXIII.

PER REVERENDVM PATREM

Lucretium Tiraboscum Afulanum, Theologum  
Apud Reuerendum Patriarcham  
Venetiarum.



BRIXIAE Ad instantiam Io: Baptista Bozola:  
M. D. LXIII.







X Iis præclaris orationibus, quæ prodeunt quotidie è Sacro Concilio Tridentino, quod magnis & excellentibus viris refertum est; cum in manus nostras venisset hæc oratio elegantissima Fratris Lucretii Tiraboschi Asulani Carmelitæ habita quarta Dominica Quadragesimæ, eruditionis & Christiani spiritus plenissima, eam illicò in tuam gratiam Candide & Christiane lector ædidimus; ne hoc suavi & fructuoso labore viri religiosissimi diutiùs careres, qui eò tibi iucundior futurus est, quòd sanctissimo Eucharistiæ sacramento totus fuerit impensus, arrepta occasione ex ipso Euangelio, in quo Christus de hoc diuino Sacramento, & illius fructu apertè vaticinari videbatur. Illud igitur illustre christi miraculum, quo tot hominum millia, quinque panibus, & duobus piscibus saturauit, ad iuge illud & dulcissimum Eucharistiæ conuiuium per allegoriam elegantissimè & iucundissimè trãslatum est. Nam cum Christus vitæ magister verbis modò, sed factis etiam ipsis loqueretur, omniaq; illius facta diuinis scateant mysteriis; hoc præsentis miraculo quinque panum, & duorum piscium, sacramentum istud, quod à Ioanne Euangelista septimo loco numeratur, & animorum illa saturitas iudicata est, quam illi experiuntur, qui dignè mensæ dominicæ accumbunt, & eius participes fiunt. Qua in allegoria explicanda ita sæliciter versatur, ut ad germanum sensum, quod est summa laus allegoriæ, proximè accedat, vt non tam mysticus, sed historicus sensus videatur. planis ergo & simplicibus verbis Sanctissimum Ambrosium imitatus, eruit reconuicta in Euangelio mysteria, quibus christi factis fuerint adumbrata septem Ecclesiæ sacramenta quæ rati & præsens istud miraculum & numero ipso septenario, in quo patrum antiquorum iudicio, vis aliqua, & diuinior quædam significatio delitescit, & ipso panis & saturitatis no-

mine congruat huic diuino sacramento ; qui fructus ex  
eo percipiantur ; quomodo hæc omnia Christo , & eius  
charissimæ sponsæ Ecclesiæ conueniant ; Eucharistiam  
esse summam omnium sacramentorum ; quatuor veteris  
testamenti figuræ , quibus fuit adumbratum , proferun/  
tur. obiter verò & veluti per transfennam quæ acta fue/  
runt à Deo septimo die , quis fuerit scopus prophetarum  
explicatur ; atq; hæc quidem omnia mira breuitate com/  
prehensa , sententiarum grauitate , verborum pondere ,  
trationum floribus resperfa , orationis luminibus exor/  
nata , aptè digesta , sapienter collocata , & ante oculos  
posita sunt , vt mihi quidem hæc oratio , ipso presso Con/  
cinno , & Limato stylo , Ambrosianum illud & pectus &  
stylum redolere videatur. Fruere igitur pie lector , hac  
eleganti & iucunda oratione , & opera nostra ; & benè  
vale. Brixæ. Mensis Maii. M. D. LXIII.





I Quæ munera apud nos esse reperiuntur, Cardinales Amplissimi, Patres optimi, clarissimi Oratores, quæ aliquam & ueræ felicitatis, & beatitudinis partem attingant, ea sanè præcipua esse existimo, quæ ad caelestes atque diuinas res contemplandas mortalium animos applicant, applicatosq; immortalium rerum admirabili quadam dulcedine participes reddunt.

Horum quidem magnum est, & ad bene, beateq; uiuendum accommodatum, uinculum illud quo Deo opt. max. per creationem coniungimur, quando diuinæ consortes efficimur sapientiæ: longè utilius, fructuosius, ac nostræ deprauatæ naturæ accommodatius est in baptismo Christi Seruatoris, humanitati adhærescere per aspersionem sanguinis eius, mortisq; eiusdem communicationem: uerùm omnium maximum, & saluberrimum salutis nostræ remedium est, carni, & sanguini, & animæ Christi per symbolum communionis uniri, omnibus ipsius præclarissimis donis ditari, eius corporis membra spiritualia fieri, ac deniq; diuinæ naturæ haberi participes. De cuius sacratissimo mysterio cum à me hodie habendus sit sermo (et si maxima rei difficultas, sacratissimi loci maiestas, grauissimorumq; Patrum confessus, quamuis etiam ingenij tenuitas, memoriæ imbecillitas, & aegritudo non parua me à dicendo deterrent) Dei tamen Opt. Max. summa bonitate, summaq; clementia confisus, eò libentius prouinciam hmoi maiorum meorum decreto suscepi, quò uestro frequenti conspectu, oculorumq; & animorum in me liberali contuitu, in eam spem facile ducor, ut ea, quæ uobis modò, pro ingenij mei imbecillitate explicare intelligo, benignè, attenteq;, quod rogo, sitis audituri

Cùm Deus Opt. Max. admirabili prouidentia sua statuerit omnia in numero, pondere, & mensura: & sapientiâ inenarrabili uiderit, dinumerauerit, & mensus fuerit cuncta, sic sc. in scripturâ repleuit mensuris, ponderibus, & numeris, quæ omnia spiritualiter librant, numerant, atq; mensurant: de quibus omnibus cum & longum esset, & præter intentum differere, numerum tantum

in Euangelio positum & duorum, & quinque; qui in septenarium numerum ueniunt, subannuus: qui ita ubique resperisus est, & omni se ingerit negotio, ut maximam uim mysteriorum caelestium in eo repositam esse non dubitemus. Sub hoc singularissimo numero certe, ut penè innumera taceam, & ut, quod placet, studeam breuitati, unico uerbo, & omnia creata esse, & defecisse, et esse punita, & sacramentis expiata, atque eorum refecta quamplurima, scriptura sacra demonstrat. Liceat tamen interim inquirere breuiter, unde septimum diè ita semper celebrare consueuerit scriptura diuina: ut in eo & summam ceterorum, & complementum eorum statueret. Nam si septimum diem creationis consideraucimus, uidebimus in eo compleisse omnia, quae patrauerat Deus, & completum (inquit scriptura) die septimo opus quod patrauerat suum. Nam fecit hominem humilitate gnaphar, uidelicet puluerem, & spiritu sancto uiuentem, & Deum in Paradiso colentem, & ligno uitae perpetuo uiuere potentem. Unde septima generatione descendentium Cain, qui leuiter erant percussi, ultimam consumationem per cataclysm uniuersalem senserunt? Undenam die septimo clangore tubarum septies ciuitatem Hierico circundantes Iudaei, atque clamore obstrepentes Hierico muri ceciderunt, & absque armis ciuitas capta est? Unde demum septimo huius mundi seculo recreatus est mundus, atque completus: flagellatum est peccatum, ceciderunt muri sapientiae mundi, & est orbis conuersus: nisi quia post tempora praeterita, & septimo hoc calamitosissimo seculo inuertere nituntur heretici septimum secundum Ioannem eucharistiae sacramentum, & in ipso cetera cuncta, ut quemadmodum est complementum aliorum, & fidei nostrae sigillum, sic ualeant eius abrogatione fidem nostram penitus euertere, & e memoria hominem eradicare? Sed spiritus Christi, qui suam non deserit Ecclesiam, praesens elegit candidatorum patrum grauissimum Concilium, qui huic sanctissimo mysterio in templo Ecclesiae seruiunt, & die laetitiae, & nocte persecutionis, merito, & gratia huius adiuti. Est enim hoc uicimum, & summum omnium quod Ecclesia sancta acceperit à Christo, & quod à nobis desiderari potuerit mysterium, uidelicet communis Dominicae, omne in se habens delectamentum, et omnem continens suauitatem. Illud namque fidelibus datum est, peccatorum maculis per penitentiam deletis, muneribus spiritus sancti perunctis, unda sacri Baptismatis delibatis, ac ex casta &

legitimo matrimonio debite procreatis. Sic enim beatus Ioannes, quem magnum Theologum, & optimè de sacramentis loquentem appellat Dionysius, Christianæ reipublicæ normam spirituales componens, primum matrimonij sacramentum miraculo celebrat, ordinis defectus corrigit, atq; castigat, Baptismi mysterium refert, eiusq; iustitiam narrat, Spiritus sancti confirmationem in Samaritanis aduertit, & in filio reguli uim unctionis extremæ figurat, atq; sub egri figura ad piscine lauacrum sanati sacramenti pœnitentiæ docet. Deinde nouissimo loco ad mysterium illud præclarissimum cõmunionis Dominicæ nos dirigens, miraculum illud symbolicum maxima admiratione dignum, & summis laudibus extollendum de quinque panibus, & piscibus duobus multiplicatis nobis significauit, cuius præcipuos fructus, immensaq; mysteria, nunc Dionysii exemplum sequens, quàm breuissimè explanare curabo.

Seruator noster tanta est in nos affectus charitate, tantaq; humilitate præstitit, ut uelut infirmus pro nobis medicinam suscipere, qua nos in ipso sanaremur, & spiritualiter recrearemur. Vnde teste Augustino, præuidit Dauid aflatu spiritu Dei, Christum in ultima cena ueluti pro nobis ebrium futurum ex huius sacramenti sumptione: cum Dauidem inducit, idest Christum faciei mutasse figuram uidelicet phasæ ueteris testamenti in nouo testamento sacrificium corporis sui coram Abimelech, idest patre meo rege, dicente Seruatore: Sic pater meus dat nobis panem de cælo uerum, qui quantum utilitatis attulerit, & Ecclesiæ primitiua, et nostræ, declarat psalmus immediatè sequens, cum dicit: Benedicam dominum in omni tempore, & prospero uidelicet, & aduerso: semper laus eius in ore meo Deo scilicet in iuge sacrificium oblata. In Domino laudabitur anima mea in se mortua, in Deo autem, & Dei laude uiuens. Audiant hanc spirituales metamorphosim mansueti, & lætentur. Apostoli magnificate & uos Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in iudicium. Exquisiui non facultates terrenas, non gloriam mundi, non commoditates carnis, sed dominum uidere, possidere, & eo frui nempe per hoc sacrificium. O immensam Dei honitatem, & exaudiuit me. O incomparabilè Dei uirtutem, & miram de nobis prouidentiam, & ex omnibus timoribus meis eripuit me. Ergo accedite ad eum, & illuminamini, & facies uestre, O apostoli in


Tr. r. u. s.  
quid replicari  
1. x. Christi  
in ulti-  
mo cæp. 2.  
ad Apostolos,  
3. ad x. in  
passione & re



urrectione,  
4. ad primiti-  
uam Ecclesiā,  
& 5. ad præ-  
sentem Eccle-  
siam perueni-  
re uidentur.

morte mea, & uestra pressura non confundentur. Gustate etiam  
& uidete quā suavis est Dominus. Beatus uir, qui sperat in eo.  
Hactenus fructus quosdam Dominicæ cænæ explicuimus. Nunc  
progressum ad eam subiungemus.

Nauim ergo Christus ascendit, cum baptismum à Ioanne humi-  
liter recepit. In mare Tiberiadis ingressus est, quia sub Cæsare Ti-  
berio unda Iordanis irroratus est, & agitabatur è fluctibus, cum  
tentabatur à Sathana, cum predicabat, miracula faciebat, &  
odio habebant ipsum hebræi, & persequebantur eum. Naui etiam  
egressus est, cum dixit eis: Non me uidebitis amodò, donec dica-  
tis: Benedictus, qui uenit in nomine Domini. In montem ascendit,  
cum uenit ad montem oliueti. De monte, teste Luca descendit, quan-  
do in Hierusalem ad mensam cum apostolis accubuit. Panem acce-  
pit, cum corpus suum sumpsit, discipulisq; tradidit, cum eos pane  
caelesti cibauit. Fragmenta colligi iussit, cum dixit discipulis suis:  
hoc facite in meam commemorationem. Populi dixerunt: hic est  
uerè Propheta, cum hymno dicto Apostoli exierunt, & laudem  
deo dederunt. Nec satis fuit Christo semetipsum in sacramento no-  
bis dedisse, sed & in precium nostræ redemptionis in ara crucis se  
uoluit exhibere. Eo igitur tempore nauim conscendit, quo à perfid-  
orum hominum cohorte captus fuit, nauigationemq; suam est pro-  
secutus; ad pontifices ductus, accusatus, interrogatus, ala-  
pis percussus, reus mortis adiudicatus est. Fluctibus immensis ia-  
ctatus est, quando flagellis cæsus est: quando crucifixus summum  
pertulit supplicium. Descendit de naui, cum corpore mortificatus,  
sed spiritu uiuens, ad inferna loca descendit. Ascendit in montem,  
quando ad immortalem uitam surrexit. Instruxit discipulos de re-  
gno Dei, cum aperuit illis sensum, ut intelligerent scripturas: ac-  
cepitq; panem, benedixit, fregit, & porrexit eis, cum secundum  
ueritatē historia hec eadem in Castello Emaus præstitit: Et quan-  
do dixit discipulis: habetis hic aliquid quod manducetur? & illi  
oklerunt ei partem piscis assi, & fauum mellis. Tunc dixit eis:  
colligite fragmenta, ne pereant: cum sumens reliquias dedit eis di-  
cens: Hæc sunt uerba, quæ locutus sum apud uos, cum adhuc essem  
isc̄risicum, <sup>115</sup> necesse erat impleri omnia, quæ scripta sunt in lege  
Moysi, & in prophetis & psalmis de me, & predicari in nomine  
eius penitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes.  
Nam sacramentum istud è quinq; librorum Moysi spiritus, &



psalmodum, & prophetarum delicia. Tunc turba illum sequuntur, quando per penitentiam audierunt remissionem peccatorum offerri, et relicta non Hierosolyma, sed Synagoga, per mare Baptismi in sublimitatem dignitatis Christianae, & per eucharistiam in diuinam attolluntur creaturam. Iam audistis Christum factis, & uerbis loquentem, nunc Ecclesiam Christi sponsam eum sequentem perpendite.

Ecclesia sancta, quae est columna ueritatis immobilis, & candelabrum in templo Dei iugiter lucens, non est ociosa cum nobis, et nostro tempore, et singulis annis eadem nobis repetit euangelia, nempe quia inter cetera ita a Spiritu sancto aptata sunt Euangeliorum uerba, ut omni tempore facile conueniant, quod qua ratione factum sit, breuiter explicemus. Sicut enim Aquila uolatu proprio docet pullos, qui eam, ut possunt, sequuntur; sic, & ecclesia Christum secuta nauim conscendit, & mare ingressa est, quum oceanum illud Spiritus sancti mentes Apostolorum resperisset. Agitur à fluctibus, cum Haereticorum persecutionibus quatitur; Naui egrediuntur eum ab Haebreis ad gentes proficiscuntur; in montem ascendunt, cum montem culminis potentiae mundi scandunt, & regnum dei promulgant, panemque corporum suorum in firmamentum doctrinae populis eorum communicant. turbam uidentes eorum miracula, & intrepida in tentationibus corda, mare conscendunt per baptismum assumptum, agitanturque cum odio habentur; sed Christus, Marco teste, non post tres dies, sed post trecentimum trigessimum annum misericordia motus super turbam fuit, quando sanato Constantino, & ad fidem Christi conuerso, totus serè orbis conuersus est, & ab assiduis persecutionibus ereptus, & ad montem culminis dignitatis apostolicae se praesentans, pane caelesti spiritualiter est enutritus, unde, & seipsum, & omnia eorum, fortuna bona aeterna cum laude Christi, se Deo dederunt, & perpetua seruitute eidem mancipauerunt. Reges (inquit aurea tuba spiritus sancti) Tharsis, & insulae uenera offerent, reges Arabum, & Sabba dona adducent, & adorabunt eum omnes reges, omnes gentes seruient ei. Verum quid demon non potuit apertis delere persecutionibus, mixus est, & haeresum machinamentis euellere. Tunc ergo Christus in spiritu ingressus est immensum huius pelagus mundi, ut Galilaea uolubile, et ut Thiberiadis bonum apparens, qui quales, quantasque hu-

cusq; sit passus procellas, calamitatisq; miserias, & hodierno tempore magis quam antea plena sunt antiquorum monumenta; quæ longum esset discurrere per singula, & coram uobis in hisce probatis superfluum; nunc clamant omnes uidentes maris procellam, & naufragium, & submersionem minantem, nauim ad portum propellere; nunc P. Amplissimi expergiscimi, & ad alta cubiculi mentis uestræ per contemplationem ascendite. Huc clamant omnes prophetae, & ut unò uerbo innumera referam, excidium captiuitatis Babilonicae, & quæ mala eis contigerunt, nobis, nisi respiscamus, minantur: & ecclesia sancta non Christum trucidandum ab herode formidat, sed christiani nomen ab antichristo obscurandum timens, collegit exercitum amplissimorum patrum, ut tandem collectis uelis, nauim ad portum salutis reducant, ad finem uidelicet disputationum, & litium in fide, cum in principio huiusce tridentini Concilij, referens uerbum apostoli dicebat, ut non circumferamur omni uento doctrinae, pirata nimirum omnes scopulos in fide disoluere, & semitas pietatis ad perfectum dirigere, ut tandem ostendat uenisse tempus quod præuidens Paulus explanabat dicens. Donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filij dei in uirum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, ut non amplius circumferamur omni uento doctrinae in damnationem erroris. Tunc ergo abiit trans mare Galilææ, cum dirimens omnes quæstiones in fide, & gressum prebens, & hominem perficiens, auxilium præstabit omnibus ueritatē faciendi, secundum ordinem eis ab ecclesia dandum. quod fieri non dubito, & ex felici principio in hunc finem directo, & ex summa omnium uestrum integritate, & pietate. Tunc qui presequetur multitudo copiosa uestigia uestra uidentes quæ signa facturi estis super infirmos per sacramenta sanandos, & à feruenti calore libidinis, & à tumore superbiæ, & cæco terrenorum affectu. Tunc ascendit in montem Iesus, & cum discipulis morabitur, instruens eo. regno Dei, cum pro hac uestra in subditos pietate in sublimitatē contēplationis euecti, uenis aquarū sapientiæ diuinæ perfructuri. Cum itaque hac cura pastorali in populum uobis subiectum respexeritis, ac uel t oculi pietatis diuinæ in eorum intuebimini perfectū, dū alta perfectionis scādere cupiēt, dicet Christus ad Philippum amatorem æquorum interpreta tum. Vnde ememus panes ut manducetis? qui quia & scythas etiam ab Alexandro indomi-

eos prædicationis gladio domuit, & facibus charitatis accendit, fideiq; christiana subiecit, statum prædicatorum significare uideatur, qui cum Philippo responsuri creduntur, ducentorum denariorum panes non sufficiunt, ueteris uidelicet, & noui testamenti mysteria, in quibus imago diuina relucet, obscuritate mentis fidelium, non sufficiunt, ut unusquisq; modicū ex eis capiat. Tunc dicit Andreas summa humanitate præditus, & piissimus omnium nostrum pastor, & rector. Est puer unus hic, apostolorum uidelicet ordo (quos uoluit Christus pueros esse dicens. Nisi conuersi fueritis, & efficiamini uelut paruuli) qui habet quinque panes hordeaceos, quinq; uidelicet inter alios selectos probatissimos uiros, in cibum mundi huc destinatos, hordeaceos, nempe cruoris, & mortis durissima passione circumdatos, quinq; uidelicet sacramenta mortem Christi referentia significantes, & omnium eorum præcipuum eucharistiam, & duos pisces oleo pietatis assatos, & simili superindutos uestimento, duo sacri olei sacramenta significantes, et æternam uitæ præbentes iocunditatem, sed obscuritate tractandorum, & agro gustu sumentium paulatim sistens, dum tentat suffragia mittere, & alia pietatis opera struere, inquit Christus facite homines discumbere; omnibus inquam salutem offerite. Pro cūbant omnes super sæno propriæ carnis, et in fide instructi sedeāt, & dominantur ei. Tunc quippe accepit Iesus panes, qui ritualiter enutrire nos debent, cū septem sacramentorū panes examinandos tradidit, benedixitq; cū eos ostendit domini benedictione referatos; fregit, cū omnibus comunicabiles per æternā Dei benignitatem in omnes disposuit, deditq; discipulis suis cū eos administrādos esse à successoribus Apostolorum præcepit, & mysteria eorum tractanda mandauit. Quæ nempe hucusq; ita exactè, & cumulatè tractata sunt, & famescentem intellectum repleuerunt, ut pro futurorum eruditione temporum dicat Spiritus sanctus, Colligite, colligite, inquam, fragmenta ne pereant. Ad memoriam, inquit, reducite, & scripturæ mandate, quæ tanta cum eruditione doctrinæ, & pietate, & audistis, & protulistis, & iudicastis magna memoria æterna. Tractata sunt enim sacramenta cælestia, et uirtutes eorum æregie expositæ, quæ ad salutem omnium sufficiunt, & Christum uitam nostram, spem nostram, & gloriam nostram cumulatissimè donant. Tunc quippe homines illi, & mundus iste ligno uitæ cælestis enutriti, & à catachysmo gentilitatis merita

huius eruti, & muris Hierico sapientia, & heresum mundi, lumine huius exuti, caelestiumq; sacramentorum doctrina, hos fidei sigillo sufficienter instructi, diuinam cognoscent Christi uirtutem in miraculosa uersione aquae matrimonij legalis, in uinum Christiani matrimonij mutatam, uimque supercaelestem, omnes abusus Ecclesiasticos pellentem siue per admonitionem paternam, siue per iudicalem uindictam intelligent. Tunc baptismum, & iustitiam in eo elargitam, & caelestem gratiam Spiritus sancti et uicturis et iam morituris donatam sentient: nec nõ recreantis aquae pœnitentia abluti, & pane demum supercaelesti enutriti, non mysterium tantum, ut matrimonium, sed ueritatem acquirent, non renascentis gratiae radios, sed & lucidissimum solem iustitiae, non propagines, & fructus Spiritus sancti, sed & arborem & radicem ipsorum, non riuulos abluentes, & spiritualiter mundantes, sed fontem uiuificum sitim omnem terrenam extinguentem, panemq; caelestem omnibus bonis ita repletum, ut insipida uideatur omnium terrenorum affluentia, et gloriae mundi uelut umbra pertransiens. Tunc orbem fugientem fugient, & Deum, & Iesum Seruatorem nostrum, qui solus manet immobilis apprehendent, & dicent. Quia hic est uere Propheta, qui uenturus est in mundum.

D I C E B A M.



